

prolixorum gestatio. Hæc Sanctio approbata est in Syn. Geldr. Anno 1640. & 42. Consulantur quoque Acta Synod. Handerov. hab. Anno 43. art. 24. Synodus Transful. quod decreverat Anno 41, sequentibus annis confirmavit; idem factum in Synodo Campensi Anno 1644. art. 28. in Synodo Zvvol. art. 19. statuerunt, inquirendum in Auctores, qui pro comis scripserant, quod factum est in Synodo Zuytholl. Woerde hab. Anno 1645. art. 22. V. denique Synod. Geldr. Neomag. Anno 1645. Quia in his Synodis capilli naturales prohibentur, nemo fortè erit, qui non eadem interdicta ad Capillamenta etiam extendi animadvertet.

V. Præter hos, de quibus hæctenus dictum est, allegari etiam possent, qui practice magis quam theoretice Capillorum longitudinem damnare videntur, v. g. Anabaptistæ & Mennonistæ &c. itemque Sarmatæ & populi Orientales rasi, aut ad minimum tonfi. Sed brevitatis studio abrum-pentes

Claudemus rivos nostros: sat prata biberunt.

D. S. G.

COROLLARIA.

I. *Materiam Crucis Christi obviam fuisse, Formam autem immissam judicamus.*

PRius probatur, quia probabile non est, hostium immane furentium crudelitatem concessisse, ut pretiosa Crux pararetur Christo inter abjectissimos ab illis numerato, præprimis quando tanta festinatione res agebatur, ut quocunque modo fieri poterat, ocyus e medio tolleretur. Posteriorius (ubi illa Crucis forma Immissæ nomine venit, quæ stipitem erectum eminentem habet supra lignum transversum) probant Testimonia tum ipsius Scripturæ, quæ titulum su-

pe-